

1208 pestate insulæ emporium & metropolis, recepta est: inde
Cretarecep- reliqua oppida arcesque omnes. Malliacus Comes in quan-
pta. dam arcem ad extremum compulsus, & ad deditionem
sub conditione redactus, ex insula novissime abiit; & jam
Cretenses omnes in fidem redierant, quum seditiosi adhuc
quidam, Graji generis, omnia tumultu & seditione tur-
bantes, statum insulæ nihilo pacatiorem esse sinebant. Rai-
nerius ad eorum motus comprimendos profectus transfigi-
tur: cujus extincti corpus Candaci ad Georgii fanum post-
1209 ea est sepultum. Nunciata Rainerii morte, confestim ad
insulæ præsidium cum sex longis navibus totidemque one-
rariis ad pugnam instructis mittuntur Jacobus Longus, &
Leonardus Navigajosus: missus cum his & Jacobus Tepu-
lus, quem ducaria potestate Cretensibus præesse voluerunt:
Raphael Zenus in Peloponnesum ad Corones Methonesque
præsidium. Jacobus (cui Longo cognomen fuisse diximus)
haud longe ab insula tres Ligusticas naves, aliis non pau-
cis in fugam versis, oppressit. Et quia Græcorum levita-
te apparebat, insulæ statum nunquam in ocio futurum,
nisi perpetuo quodam præsidio muniretur, placuit novam
in Cretam mittere coloniam: equites ex patricio ordine,
ex plebejo pedites, quibus in Candacem urbem, ac spar-
sim per totam fere insulam transcriptis, prædia multa &
ampla viritim divisa, quædam etiam in perpetuum con-
cessa; quidam vero coloniam missam tradunt continuo,
ubi insula recepta est, ut proximo libro docuimus.

Hagioste-
phanitæ de-
ficiunt.

Deducta nuper colonia, Hagiostephanitæ rerum novarum
cupidi, a Veneto imperio defecerunt: erant hi inter Cre-
tenses & divitiis & celebritate nobiles; ad primum defe-
ctionis tumultum Mirabellum Sithiamque occuparunt. Ad
hos motus comprimendos Jacobus Tepulus Marcum Sanu-
tum, magna in stipendium eorum quos duceret pacta mer-
cede, ex insulis accersivit. Dixi in stipendium: nam quam
aliam mercedem cum homine Veneti sanguinis pacisci de-
buisset, non video: siquidem quo nomine ea pacta sit, au-
ctores quos vidimus non tradunt. Haud itaque magno ne-
gocio ex insula auctores defectionis ejecti, ac castella, quæ
non